

secunda bucolicorum ecloga Alexin appellat donatum sibi ab Asinio Pollione. cetera autem vita et animo et ore praeter avaritiam probus fuit. unde et bona cuiusdam exulantis 35 offerente Augusto non sustinuerat accipere. ac si quando Romae, quo rarissime coibat, viseretur in publico, sectantes demonstrantesque fugiebat in proximum tectum. habuitque domum Romae Esquiliis iuxta hortos Maecenatianos, quamquam secessu Campaniae Siciliaeque plurimum uteretur. 40 parentes iam grandis amisit ex quibus patrem captum oculis et duos fratres germanos Silonem inpuberem, Flaccum iam adultum, cuius exitium sub nomine Daphnidis deflet. inter cetera studia medicinae quoque et maxime mathematicae operam dedit, egit et causam apud iudices unam omnino, 45 non amplius quam semel. nam et in sermone tardissimus ac paene indoctus. sed poeticam adhuc auspicatus in Ballistam ludi magistrum, qui erat in Calabria, ob infamiam latrociniorum coopertum lapidibus distichon fecit. distichon autem duorum versuum clausula, quam in poemate brevem sen- 50 tentiam dicimus.

'monte sub hoc lapidum tegitur Ballista sepultus:
nocte die tutum carpe viator iter.'